

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXX. Qualiter dominus eam sanavit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

## DE CONFESSIONE.

**I**TEM alia vice, vidit Dominum Jesum ad dexteram majestatis in excelsis residentem, et purgationem peccatorum facientem. Cum enim Sorores contrito corde et humiliato spiritu, accederent ad confessionem, Dominus Jesus singulas dextera sua amplexans, omnia earum peccata in seipso tam plene ac si nunquam fuissent, annihilabat ; sicque purificatas omnes cœlesti Patri præsentabat. Quas ille benignissime intuens singulas alloquebatur dicens : « Suscepit te dextera justi mei in veram reconciliationem. »

Peccata sua  
confessos  
Dominus  
amplexatur.

## CAPUT XXX.

QUALITER DOMINUS EAM SANAVIT.

**E**XPLETIS tandem quadraginta diebus suæ infirmitatis, in quibus continuo capitis laborabat dolore, iterum visum est sibi quasi esset cum Domino in campo quodam florido, dicens ei : « Mi dulcissime amator, da mihi benedictionem tuam, sicut olim servo tuo Jacob fecisti. » Qui manu sua benignissime eam benedixit dicens : « Esto sana in corpore et anima. » Statimque sensit dolorem suum mitigari. Et magno repleta gaudio, orabat beatam Virginem et omnes Sanctos, ut pro impenso sibi beneficio, dilectorem animæ suæ collaudarent. Qui omnes, beata Virgine inchoante, pro anima illa et omnibus bonis sibi factis, in novas Dei laudes proruperunt. Ex hoc melius cœpit habere, licet non ex toto, et hoc pro eo magna ex parte fuit, quia statim ut sensit

Pro  
Mechtilde  
B. Virgo  
et Sancti  
Deum  
collaudant.

aliquid se prævalere, in spirituali exercitatione tantum labo-  
rabat, quod eam corpore deficere oportebat.

## CAPUT XXXI.

## DE POTENTIA AMORIS.

**A**LIA deinde vice, cum in gratiarum actione recogitaret Christus se ut captivum animæ tradit.

Nihil se velle quam quod voluerit Dominus testatur Mechtildis.

LIA deinde vice, cum in gratiarum actione recogitaret potentiam amoris divini, qui Christum de sinu Patris depositus in uterum Matris, dixit ad eam Dominus : « Ecce me in potestatem animæ tuæ do, ut sim captivus tuus, ut imperes de me omne quocumque volueris : egoque sicut captivus qui nil prævalet, quam quod dominus suus juss erit, ad omnem voluntatem tuam ero paratus. » At illa mira gratitudine dignationis tantæ verba suscipiens, cogitabat intra se quid a Domini potissimum expeteret pietate. Sed inveniens in corde suo quod nil sanitati præoptaret, eo quod jam Paschalis instaret solemnitas, et ipsa ab Adventu Domini usque ad tempus illud, excepto Vigilia et die Nativitatis Christi, propter continuam infirmitatem suam, chorum non intraverat, tamen in se reversa cogente eam fidelitate quam semper ad Deum habebat, ait ad Dominum : « O dulcissime et amantissime animæ meæ, etiamsi nunc omnem fortitudinem et sanitatem quam unquam habui recuperare possem, nequaquam vellem ; sed hoc solum a te volo, ut nunquam a tua discordem voluntate, sed omne quod tu vis et in me peragis, sive prosperum sive adversum, hoc ego semper tecum velim. » Statimque videbatur sibi quod Dominus eam sinistra amplexaretur, et caput ejus supra pectus suum reclinaret, dicens ei : « Ex quo tu vis omne quod ego volo,